

III.

NEOVIDENSIS

Nro 10. (*Neovidensis Nro 33.*)

Plutonia conjux Proserpina
invisura matrem Cererem

*Praesentem Dissertationem de Natura
secum etulit.*

Elysium --- Meum. --- Die Vener. 4 Maji 1804. (Neov. 20 Apr.)

Sententia:

Natura est principium actuosum, enti internum —
est, quod nasci facit.

Position. Jur. Natur. — Martini.

Intimo perfundor gaudio, dum memoria re-
peto annos, quibus studiis operam dabam.
Ob oculos mihi pono Collegium, situm, ca-
thedram, & præclarum, eruditumque Pro-
fessorem Martini, qui nobis Jus Naturæ, &
Institutiones uti solide, ita etiam dilucide
proponebat: in hodiernâ sic dicta ilumina-
tione vocabulum naturæ saepissime laudatur,
at meum animum vel invitum subit ejusdem
definitio a Martino data: — Natura est
principium actuosum enti internum; est quæ,

juxta nominalem definitionem, aliquid nasci facit.

Definitio est clara alicujus rei notio, & sufficiens, ut eadem ab omnibus aliis distinguatur. Ingenue fateor, definitionem naturæ a piæ memoriæ Professore Martini, cui ego, utpote meo Magistro, plurima in acceptis referenda habeo, traditam, semper mihi visam fuisse obscuram, meque distinctam naturæ ideam non obtinuisse. Forte ingenii mei natura erat in culpa, quæ id tantum, quod manibus poterat palpari, mihi comprehensibile reddidit. Si structuram mei capitis Doctori Gallio exhibuissem, ille procul dubio inde mei ingenii debilitatem declarasset, inde collegisset, cur omnes metaphysicas definitiones oderim. Itaque non contentus mei optimi Professoris definitione, excussi omnes possibles tam veterum, quam recentiorum definitiones, & ut ita dicam orbem universum eruditum lento passu peragravi. Sed, proh dolor! in toto hoc itinere actum egi: usque ad hodiernam diem, sincere loquor, ignoro, quid reapse natura sit.

Aristoteles (perfecto egregius vir) integro capite explanat sensum vocabuli naturæ. Apud Romanos tam multæ occurrunt ejus significationes, ut quidam magni nominis auctor earum 14 vel 15 connotaverit. Sic sæpenumero idem verbum in diverso sensu usurpatur, quæ ambiguitas latissimum aperit campum Sophistis veritatem impugnandi.

Fama fert, celeberrimum Volffium mortis proximum quibusdam sibi familiarissimis amicis, qui eum inviserant, sequentia dixisse: Amicorum optimi, ex omnibus, quæ vobis lego, hoc potissimum spectate. Quem putatis ex omnibus tam antiquis, quam hodiernis, qui fuerunt, & futuri sunt, maximum Philosophorum?

Talis ordine naturali judicabatur esse Aristoteles, Plato, Zoroaster, Socrates. Hic affirmabat Nevtonium, iste Leibnicium: alius omnibus prætulit Confucium, tandem unitis consiliis proclamarunt ipsum Volffium.

„Nemo horum omnium, (inquit sincerus Philosophus) hoc honore dignus est. Hæc gloria soli Patri Abrahamo a Sancta Clara relicta est.“

Risum teneatis amici. „Nonne illi attribuitis nomen maximi Philosophorum, qui plurimis utitur definitionibus?“

Hanc propositionem nemo ex præsentibus negavit, quin imo omnes assenserunt

„Jam autem (prosequabatur moriturus sermonem) Pater Abrahamus est unicus, qui ex omnibus eruditis, qui mundum docuerunt, accuratissimas rebus attribuit significationes, hacque methodo abstractissimas veritates ad communes notiones reduxit.“

„Aut prodeat in medium quispiam vestrum, qui simile quid sive de me, sive de alio aliquo potest producere?“

Illi conticuere.

„Ergo (intulit immortalis Volffius) Pater Abrahamus superavit omnes Philosophos vel ideo, quod ejus intelligentia fuerit perfectior, & amplior, quam vestra. Itaque fuit inter nos maximus.“

Si admittimus, punctum temporis, quo anima a corpore separatur; esse tale, quo illa omnia accuratissime perspicit; & ultimum hominis momentum, quo ex hac vita decedit, esse illud, quo nunquam mentiri solet, quo omnis simulatio cessat; profecto non possumus, ut mihi videtur, hanc narrationem sua fraudare admiratione.

Qui propugnant naturam esse essentiam, vi cujus quælibet res est id, quod est, & non aliud; dant definitionem ad hominem. Verum quemadmodum natura, ita etiam naturalis lex suppeditat copiam definitionum non modo apud veteres, sed recentiores quoque, ex quibus deinde varia enata sunt Systemata. Quisque alteri fundamento, vel definitioni superstruxit suum ædificium; quisque sibi alias de lege naturali ideas efformavit, & inde ab Aristotele usque ad amantissimum mihi Professorem Martinium prodiverunt systemata Juris Naturæ, quorum unum aliud subruit, & quorum rudera hodie dum exstant in antiquis voluminibus. Hobbesius, Hugo Grotius, Puffendorffius, Malebranchius, Boylus, & alii complures in hac materia erudite versati sunt. At, quid tenendum de Jure naturæ Joannis Jacobi Russovii, qui nos ad statum naturalem reducere intendit, ut

nimirum, quemadmodum lepores, vel quadrupedes repamus, vel curramus? Ita heroicæ memoriæ *Don Quixotte de la Mancha* in montibus Sieræ Morenæ oves pro militibus habuit; & profecto tales nos esse oporteret, si systema Joannis Jacobi Russovii obtineret.

Sapientissimi prioris sæculi omnem operam in eo collocabant, ut nos naturæ restituerent, ita enim perorabant: „Sola natura
 „ continet veritatem. Barbarus homo est
 „ genuinum ejus germen, hic nobis exemplo
 „ sit, in hoc quæremus veram nostram originem,
 „ & naturalem culturam. Alii sapientissimi
 „ reposuerunt: Barbarus procul distat a statu,
 „ qui cuique hominum naturalis est; contra,
 „ ejus barbaries non est amplius accommoda
 „ nostris moribus; Sæculis erat opus, ut illuc,
 „ ubi sumus, pertingeremus, quare ergo statum
 „ nostrum iterum cum ejus conditione commutare-
 „ mus?

Verum hac re nequaquam fuit illis satisfactum. Delicta, & quæ hic, vel ibi evenerunt infortunia, non adscribebant illi affectibus pravis, sed detorquebant in religionem, in legislationem, & socialem vitam. Accusabant leges, inde ortas consuetudines, & vinculum societatis, propugnabantque hinc provenire omnia mala, quibus aliquando genus humanum obruitur. Laudant barbaros, quod, tametsi nullis teneantur legibus, felicem tamen ducant vitam; eorum statum

tanquam felicissimum depingunt, una tamen fatentur, eosdem mutuis perire prœliis, eorum affectus, licet in omnia alia propendeant, atque nostri, certorum malorum esse causam, sed quæ nostris longe leviora sunt.

Non concipio, quomodo majus malum possit cogitari illo, quo, si me meus vicinus viribus superet, ex corpore meo scindit pernam, parat carnem assam, aliosque conficit cibos.

Et nos ad hunc statum, ad talem mensam, ad tale prandium revertamur? Misam faciamus civilitatem, pro qua tot sæculis decertavimus?

Russovius rem hanc breviter absolvit: Postquam suarum paradoxarum sententiarum tot nactus est adversarios, unum statuit principium; nimirum vitam humanam duabus constare partibus: Bono, & malo. Omne bonum adscribit naturæ; hæc sola potest bonum, verum, & felix producere, omnis mali autem origo posita est in societate civili. Itaque secundum ejus opinionem famosi latrones Cartuchius, & Schinderhaneus ideo tantum pœna digni sunt, quod nos rapinam, & furtum legibus prohibuerimus. In statu barbarorum hi duo malefici non fuissent supplicio affecti, fera sua vivendi ratione mansissent contenti; non incessisset eos cupido vini, cerevisiæ, arto-creatis, bellariorum; vagati fuissent per silvas, vel deserta; famem sedassent piris, pomis, piscibus, & radicibus; nihil scivis-

sent
diviti
vitam
Quid
quid
Cere
oso
nobis
sump
nunc
que,
habe
excit
ritate
cet,

tiore
tum
barb
bis,
Non
non
quib
lisset
Prof
plica
sive
tion
in e
ciale
jus

sent de auro, & argento, de pecunia, & divitiis, de splendido, & commodo vestitu, vitam vixissent honestorum barbarorum. Quid eos induxit ad latrocinandum? Numquid nostræ sociales Institutiones? Vinum, Cerevisia, artocreates, bellaria? Et cur exoso nomine latronum compellantur? quia nobis leges tulimus, quia elegantiores assumpsimus mores, quia licentiæ vivendi renunciavimus. Liceat nunc mihi ex unoquoque, qui rite judicat, qui micam prudentiæ habet, quærere, an possint talia principia excitare in nobis desiderium redeundi ad feritatem, & propriam, ut istis nasutulis placeat, naturam.

Equidem probe intelligo, nostrum politio-rem vivendi modum multarum infirmitatum esse causam, quæ penitus ignorantur barbaris. At non implicantur illi etiam morbis, quos nos usu cognitos non habemus? Non faciunt vivendi finem citius, atque nos? non succumbunt diversis minoribus casibus, quibus civilitas facili negotio remedium attulisset? Dico cum meo gratæ recordationis Professore Martinio, Jus Naturæ non est explicandum sive ex feritate, sive barbarie, sive communi cum omnibus animalibus notione, verum secundum stabilita societatis, in qua vivimus, principia, secundum sociale jus naturæ, quod in consequendo hujus societatis fine consistit.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes quoque libri prostant :

Jantin & Montigny. Conte Moral. Par l'auteur du Sudmer, à Presbourg, & se trouve à Paris 1804. 8. 1 fl.

Historia Regni Hungariæ e probatissimis Scriptoribus synoptice deducta. Posonii 1804. 8. maj. 1 fl. 30 xr. script. 2 fl. 15 xr.

Theophron, vagy a' tapasztalt Tanácsadó a' tapasztalatlan Ifjúság Hasznára. 1804. in 8. 1 fl. 45 kr. Posta papirofra 3 fl. Fényes papirofra 6 fl. 40 xr.

A' Magyarság' Virági. Szedte Baróti Szabó Dávid. Komáromban 1804. 1 fl. kötve 1 fl. 12 xr.

Bárdoly, Moldavenfis vel Szepsiensis Decimæ Indagatio est proxima terræ Szepusiensis, & huic innexarum, sacro - profanarum Jurisdictionum evolutio: 4. maj. in charta scriptoria 2 fl. 30 xr. in impressoria 2 fl.

Gubernath, Institutiones Linguæ & Litteraturæ Hungaricæ cum Phraseologia, & Syntaxi ornata. 1803. 8. Tomi II. 2 fl. in charta scriptoria 3 fl.

Elisa, avagy millyennek kell lenni az Afkszony-nak. 8. 1 fl. 30 kr. in Charta scriptoria 2 fl.

Atala, ou les Amours de deux Sauvages dans le Désert, par F. A. Chateaubriand. 12. relié 1 fl. 8 xr. sur Papier de Poste. 2 fl. — Velin 4 fl.

Atala, vagy két Indus' szerelme a' Luizianai Pusztákon. Kötve 1 fl. 8 kr. Posta papirofra 2 fl. Fényes papirofra 4 fl.